



Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypraeus, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1634

Serenissimo Ac Reverendissimo Principi Ac Domino, D. Anselmo Casimiro
A Wambolt, S. Sedis Mogvntinæ Archiepiscopo, S. Romani Imperii Electori,
& per Germaniam Archicancellario, Domino meo ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

SERENISSIMO AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D. ANSHELMO
CASIMIRO A WAMBOLT,
S. SEDIS MOGVNTINÆ ARCHIE-
PISCOPO, S. ROMANI IMPERII ELECTORI,
& per Germaniam Archicancellario,
Domino meo Clementissimo.

Nec non

REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D. FRANCISCO
AB HATZFELT, EPISCOPO
BAMBERGENSI ET HERBIPOLENSI,
FRANCIAE ORIENTALIS DVCI,
Domino meo Clementissimo.

Vt &

REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

D. FRANCISCO
GVLIELMO, EPISCOPO
OSNABVRGENSI, MINDENSI, AC
VERDENSI, S. R. IMPERII PRINCIPI,
Metropolitanæ, nec non Cathedralium Insignium
ac Celeberrimarum, Colonienfis, Ratisbonenfis,
Freisingenfis, Bonnenfis, Monacenfis, Oetingenfis,
respectiue Præposito, Archidiacono & Canonico,
Comiti de Wartenberg, Domino in Waldt &c.
Domino meo Clementissimo.

Sempiternam felicitatem

humilimus & obedientissimus seruus

IOANNES ADOLPHYS CYPRAEVS SLESVICENSIS.

EPISTOLA



NIHIL quicquam esse existimo, quod
 Diuinæ ac Cœlestis Doctrinæ verita-
 tem certius ac euidentius demonstret ac
 confirmet, Ecclesiæ Catholicæ Maie-
 statem ac Dignitatem clarius illustret
 ac patefaciat, quodq; vniuersis ac singulis eiusdem
 membris, omnibus fidelibus, synceris, ac Orthodo-
 xis Christianis, tam rebus prosperis quam aduersis,
 maiorem ac efficaciorē præbeat delectationem ac
 consolationem, quam consideratio eiusdem Originis
 ac Antiquitatis. Hæc enim est clarissima ac verissima
 nota, certissimum ac infallibile Symbolum, quo Ec-
 clesia Catholica à reliquo errantium ac incredulo-
 rum grege manifestè cognoscitur ac discernitur.
 Vnum quoque & solum hoc argumentum, si altiori
 mentis indagine attentius nonnihil ac diligentius
 ponderetur atque examinetur, tum ad erroneas quas-
 uis animas à recto veritatis tramite deuias ac aber-
 rantes, iterum conuertendas ac in viam reducendas,
 tum ad omnes præfractos ac obstinatos Diuinæ Ve-
 ritatis hostes, nouitatis ac erroris arguendos ac con-
 uincendos, satis ponderis ac momenti habere existi-
 mo. Et certè, si ad primum hoc principium ac origi-
 nem mentem oculosq; nostros conuertamus, Eccle-
 siæq; Catholicæ faciem ac statum à sui primordijs &
 quasi incunabulis aliquanto altius ac penitius respi-
 ciamus ac contemplemur, tunc luce meridiana cla-
 rius apparebit, non nouum ac insolens esse, sæuos ac
 horrendos huiusmodi errorum ac persecutionum
 turbines ac procellas oriri ac concitari, quibus Navi-
 cula Christi turbulento ac procelloso hoc mundi æ-
 quore (tristissimo imprimis ac periculosissimo hoc
 rerum statu) miserè iactatur ac concutitur: ve-
 rum sæpenumero & antehac frequentissimè omnibus
 fere

DEDICATORIA.

ferè seculis parem & eandem, imo interdum longè etiam duriorè ac grauiorem violentarum ac fraudulentarum persecutionum miserrimam tempestatem subijsse atque expertam esse. Sæuis autem ac turbulentis huiusmodi persecutionum fluctibus ac procellis, quæ quauis ferè ætate motæ atque concitatæ fuerunt, tantum abest, vt nauicula Petri penitus depressa ac submersa fuerit, vt tandem eo lætior ac gloriosior, superatis omnibus fluctibus ac sedata tempestate, emerferit ac eluctata fuerit. Huius rei Ecclesia nostra Slesuicensis in Cherfonoso Cimbrica, exemplum ac documentum nobis præbet (ne longius alia accersamus) longè clarissimū ac euidentissimum: quæ & ipsa, consilio ac prouidentia Altissimi, eandem sortem ac vicissitudinem crucis ac lucis, serenitatis ac tempestatis, persecutionis ac liberationis, exilij ac solatij, Belli ac Victoriæ quolibet tempore sensit atq; experta est. Cum itaque Benignissimus Deus; admiranda hac rerum mutatione ac vicissitudine, insignia atque eximia Diuinæ suæ Potentiæ ac Clementiæ opera ac beneficia, quauis ætate in Ecclesia hac nostra Slesuicensi ediderit ac præstiterit, eamque tam præclaris donis ac ornamentis, Veritatis nimirum splendore, Antiquitatis ac Vetustatis decore, Eximiorum atque Insigniū Doctorum singulari Spiritus S. gratia atque illuminatione, Illustrium ac Heroicarum Personarum constantia ac feruore, Miraculorum euidentia ac claritate, Martyrum honore ac gloria, egregiè illustrarit ac decorarit, indignum certè omnino foret, ne dicā impiū, immensa huiusmodi Dei omnipotētis opera, ac insignia beneficia silentio tegere ac obruere, & non potius ad Diuinæ Maiestatis laudem & Ecclesiæ gloriam prædicandam ac illustrandam, literis ac scriptis ea toti mundo manifestare ac patefacere. Quamobrem cum

EPISTOLA

omnibus seculis viri reperti sint, qui de antiquissimis rerum gestarum, imprimis Patriæ suæ, monumentis ab interitu ac obliuione vindicandis ac in lucem edendis, summopere laborarint ac sategerint, eorum quoque exemplo ac instituto Parens meus Paulus Cyprius ICTus Slesuicensis commotus ac incitatus, historiam hanc Patriam Slesuicensem de ortu ac progressu Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ in Chersoneso Cimbrica conscribere atque adornare, resque illic in Ecclesia ac Politia præclarè ac insigniter gestas, maximeque admirandas ac memorabiles, tam in Slesuici ac Holsatiæ Ducatibus, quam finitimo Daniæ Regno literis tradere, ac commendare voluit. Quam historiam summo studio ac labore (conquisitis hinc inde multis ex Archiuorum arcanis, nonnullis etiam ex reconditis ac vetustissimis historiarum manuscriptarum monumentis erutis ac depromptis, diligentique inquisitione ac perconctatione comperitis ac intellectis) à Parente meo quasi delineatam atque inceptam, si ego vltius pertexerem, elaborarem, atque ad exitum perducerem, Ecclesiæ non inutile, Veritatis quoque ac Antiquitatis amantissimis & studiosissimis non ingratum operæ ac laboris pretium me facturum existimaui. Adhunc laborem autem suscipiendum, negotiumque conficiendum, vt hanc historiam tandem in eis sumptibus ac impensis difficili quamuis ac angusto hoc tempore, edendam ac imprimendam curauerim, me imprimis mouit ac incitauit, quod à plurimis Doctissimis ac Clarissimis viris, quibus eius legendæ ac euolendæ copia ac facultas facta, summoperè eam expeti ac desiderari perspiccerem, præsertim cum de statu ac rebus gestis Ecclesiæ Slesuicensis apud historicos parum admodum, idque sparsim ac frustillatim, nihil autem ferè quicquam ordine,

DEDICATORIA.

ordine, integrè ac consummatè literis memoriæque proditum reperiatur. Hanc autem historiam, Serenissime ac Reuerendissime Princeps Elector, Reuerendissimi ac Illustrissimi Principes ac Domini, Domini mei Clementissimi, quod non fuerim veritus, V.^{ra} Serenit. ac VV.^{ris} Celsitud. inscribere ac dedicare, ansam atq; occasionem mihi imprimis præbuit, rerum ipsarū, quæ in hoc scripto continentur, argumentum ac materia. Ostendit enim ac confirmat hæc historia præcipuè Catholicæ Religionis ac Fidei Christianæ in Chersoneso Cimbrica ac finitimis Regionibus, Antiquitatem ac Veritatem, cuius auitæ ac antiquæ Christianæ Religionis ac fidei Vos estis Summi Antistites, Cultores amantissimi ac studiosissimi, Defensores strenui, ac Vindices acerrimi. Complectitur præterea præsens hæc historia sortem ac conditionem Ecclesiæ in his locis militantis, qualis singulis seculis, omniq; ætate tam prospero quam aduerso rerum statu fuerit atque extiterit: cuius dulcissimæ Matris Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ itidem Vos estis Reuerendissimi ac Illustrissimi Principes ac Domini, Filij vnice Dilectissimi ac Obsequentissimi, Præcipua ac Insignia Membra, & tam florentissima ac tranquillissima tēpestas, Præclara eius Decora ac Ornamenta, Illustrissima ac Splendidissima Luma, quam iam tristissimo ac turbulentissimo hoc rerum statu, afflictissimæ (proh dolor) ac labenti Ecclesiæ, prudenti consilio ac matura deliberatione, nec non omni ope, viribus ac auxilio iterū fulciendæ, subleuandæ ac erigendæ, firmissimæ Columnæ, Fulcra ac Præsidia. Commemorat porro hæc hystoria ordinem Episcoporum Catholicorum, in Ecclesia Slesuicensi continua serie sibi inuicem succedentium: inter huiusmodi autem, veros, synceros ac orthodoxos Catho-

EPIST. DEDIC.

tholicæ Ecclesiæ Episcopos, Vos dignissimè Eminentissimum ac Celsissimum locum ac gradum in Germania, cum summa Nominis gloria ac honore, maximo Ecclesiæ decore ac ornamento, nec minori eius fructu ac emolumento sustinetis. Continet deniq; hoc scriptũ res admirandas ac memorandas in Ecclesia ac Politia olim gestas ac designatas, eximiasq; animi & corporis dotes ac virtutes, nõ solum Insigniũ Ecclesiæ Doctorum, Gloriosissimorum Martyrum ac Confessorum, verum etiam Serenissimarum ac Illustrissimarum, vereque Heroicarum personarum, Regum Daniæ, ac Ducum Slesuici ac Holsatiæ, quarum iucunda ac pia lectione ac recordatione Generosissimos Vestros animos quam maximè delectari, ex eorum innata pietate, sinceroq; erga Religionem zelo ac affectu mihi persuasissimum habeo. Suscipite igitur Clementi animo, ac Serena fronte exiguũ hoc opusculũ humilimo cordis affectu, ac animo deuotissimo V.^{ra} Serenit ac VV.^{ris} Celsit. oblatum ac cõsecratum, & me in Ecclesiæ gremium ac societatem iam susceptum, gratia ac clementia, fauore ac patrocinio amplecti ac prosequi ne dedignemini. Quod ipsum benignissimus Deus, ex immensa sua gratia ac misericordia, cunctis corporis animique bonis, Spiritus sui gratia, illuminatione ac gubernatione, omniq; temporali prosperitate, pacata ac tranquilla, post turbulentam hanc rerum tempestatem, Imperij administratione, ac tandem æterna felicitate ac beatitudine clementer ac abundè recompensabit. Amen.

LIBER